

CAPVT IV.

De Praejudiciorum practitorum remediis.

§. I.

QUum constante Medicorum consensu, initium curationis sit nosse morbum, praedudiciorum quoque *agnitio* primo omnium quaerenda erit illis, qui hac animi peste liberari debent. Idque ut rite fiat, 1.) in genere agnosenda est profunda naturae hominis corruptio, qua non solum inclinatio voluntatis, a Deo & omni vero bono averfa, ad falsa & imaginaria propendet, sed intellectus quoque in rebus spiritualibus caecus, ad errores & prava iudicia pronus est, praesertim cum impetus cupiditatis eum in transversum agit. Tunc enim, cum voluntas vel per se, vel ab appetitu sensitivo mota, in objectum aliquod suae inclinationi naturali congruum fertur, mox intellectus undecunque ratiunculas quaerit, quibus illa carnis desideria vel defendat, vel excuset, adeo quidem, ut ipsa rectae rationis principia divinaeque revelationis praecipua, desiderii istis adversa, impugnet, aut dominatrici cupiditati suae conciliare studeat. 2.) observandum, quod in illis etiam, qui vel morali disciplina, vel per ipsam regenerationis gratiam, ad emendandam naturae pravitatem tendunt, eadem veteris Adami indoles saltem subtilius & per cuniculos se exserere soleat, ita quidem, ut intellectus corruptus vitia sub specie virtutum, res tam praecipuas, quam veritas, sub titulo adiaphorarum aut mediarum homini ipsi venditare conetur, certe variis excusationibus & effugiis dictamini boni Spiritus se subducat. Unde 3.) sequitur, nec propensione nostrae voluntatis ad res mundanas, nec iudicio intellectus ad eam se accommodanti tuto esse fidendum, sed utrumque potius quam maxime suspectum habendum; quandoquidem 4.) eiusmodi praedudicia non alium praestant usum, quam ut nos ipsos decipiant, conscientiam aliquantisper assopiant, & verbi divini, rectora docentis, virtutem repellant.

Deus